

Heinrich Schuckmann

## Programma In Festo Pentecostes

Rostochii: Pedanus, 1634

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739726927>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA  
IN  
FESTO  
PENTECOSTES.

Propositum

RECTORE

Academiæ Rostochiensis

HENRICO SCHUCKMANNO,

Juris Doctore & Professore.



ROSTOCHII,

*Litteris* JOACHIMI PEDANI Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXXIV.



RECTOR  
Academiae Rostochiensis  
HENRICUS SCHUCKMAN,  
Juris Doctor & Professor.



Lim in Veteri Testamento  
circà præsens tempus (uti  
sacræ testantur literæ) so-  
lenni ritu agitabatur anti-  
quum illud Pentecostes fe-  
stum, quo Deus ter optimus  
maxim9, ineffabili majesta-  
te & gloriâ in excelso Sinai montis apice ap-  
parebat, & propalàm Israëlitis omnibus astan-  
tibus ac auscultantibus, Legem suam De-  
calogo comprehensam, cœlesti voce animos  
singulorū vehementer commovente, promul-  
gabat; Ubi intensissimus buccinæ clangor, ful-  
mineus in aëre fragor, horrenda q̄; audiebantur  
tonitrua, ubi terribiles ignis flammæ, & flagran-  
tia fulgura ex opacâ nube emicantia conspicie-  
bantur, ubi torus mons ingenti conquassatus  
motu

motu intremiscebat, & Vulcano quasi incensus  
fumabat. Quocirca universa quoq; Israëlita-  
rum turba magno percussi horrore ad Moſen  
properabant, ſollicitè contendentes, ut munere  
interceſſoris ſolus fungeretur, ne ipſi divi-  
nam majeſtatem diutius intueri neceſſum ha-  
berent, quia ſplendidiffimꝝ omnipotentis Dei  
aſpectus, & vox ejusdem acerrima omnibus in-  
tolerabilis videbatur. Hæc fuit quondam ma-  
jeſtas glorioſæ vel potiùs terrificæ promulga-  
tionis divinæ Legis. At nos hodierno die cum  
totâ paſſim Eccleſiâ longè celebrius multoq; ju-  
cundius recolimus feſtum, quo Deus Spiritus  
Sanctus tertia S. S. Triadis perſona, ante annos  
mille ſexcentos & unum, in igne non quidem  
furoris, ſed ardentis charitatis, & ſonitu leniter  
ſtrepentis auræ, ſuper Apoſtolos Hieroſolymis  
*ἐπιφανεῶς* congregatos, & promiſſum Salvatoris  
ſui cœlitùs præſtolantes, viſibili ſe effudit ſpe-  
cie, eoſq; ſacratiffimis ſuis muneribus abundè  
inſtructos, & varia linguarum idiomata edo-  
ctos, ad magnalia Dei ubiq; prædicanda aptos  
atq; idoneos effecit. Hic eſt dies ille Novi fœ-  
deris opratiſſimus, quo non promulgata fuit li-  
tera Legis occidentis, (ſicut ab Apoſtolo nun-  
cupatur) quippè quæ adverſus cunctos morta-  
les graviter detonat, ijsq; æternâ minitatur con-  
dem-

demnationem; quum nemo prorsus perfectam  
ei valeat præstare obedientiam; Sed suavissima  
illa & gratiosa Evangelij doctrina, quæ conster-  
natas & conturbatas mentes dulcissimè erigit  
ac refocillat, in omnes orbis cardines longè la-  
teq; divulgata est, virtute scilicet & efficaciâ æ-  
terni hujus Spiritus, qui omnia in omnibus o-  
peratur: De cujus personâ, officio, & beneficijs,  
ad omnes homines, & præcipuè ad Ecclesiam  
redundantibus, hiscè ferijs Pentecostalibus in  
cœtu sacro, publicè differitur: quandoquidem  
vera nostra sapientia & æterna salus in ortho-  
doxâ ipsius, quemadmodum & Dei Patris ac  
Filijs, agnitione unicè consistit: Spiritus Sanctus  
enim est verus & substantialis ille Deus, qui u-  
nâ cum patre & filio universum hoc mundi  
theatrum ex nihilo affabrè fabricavit, omnes  
creaturas visibiles & invisibiles stupendo planè  
ac mirabili modo, efformavit, omnibusq; ani-  
mantibus animam & vitam inspiravit: Siqui-  
dè in primævâ rerum omnium creatione, at-  
testante Mose, molem aqueam (cui terra erat  
immersa, ex quâ digestâ & expolitâ res omnes  
postea productæ fuerunt) fovebat & vivificabat,  
non secus ac a vis incubando fovet ova, ijsq; vi-  
talem impertit calorem: Neq; tantum ut mi-  
rificum conditorem, sed etiâ ut omnipoten-

tem

tem omnium creatorum conservatorē ad præ-  
sentem usq; diem se luculenter demonstravit &  
manifestavit, ita ut meritò de ipso asseverari  
possint, quæ de commentitio suo Jove cecinit  
Horatius, quod sit

*Gentis humanæ pater atq; custos:*

*— Qui res hominum ac Deorum,*

*Qui mare & terras, variuq; mundum  
temperat boris.*

In primis verò & præsertim immensus hic Spi-  
ritus Dei divinam suam majestatem & poten-  
tiam exferens, conspicuâ eam reddit in S. S. Ec-  
clesiâ, quam inde à condito mundo omnibus se-  
culis ac temporibus, verbo virtutis suæ, quod  
per os Prophetarum & Apostolorum ubiq; gen-  
tium disseminatū fuit, gratiosè vocavit & col-  
legit; collectam igne favoris atq; amoris sui illu-  
minavit; illuminatam perpetuò conservat ac  
gubernat, eamq; umbrâ alarum suarū clemen-  
ter tuetur, & contra omnes hostes potenter de-  
fendit; ut portæ inferorum adversus eam non  
prævalere queant. Hic est doctor veracissim9,  
qui fideliter sibi adherentes in omnem ducit  
veritatem: Est Spiritus sapientiæ, negligentiam  
omnem repellens; Spiritus intellectus, diligen-  
tiam quærens; Spiritus consilij, divinam provi-  
dentiam inveniens; Spiritus scientiæ, oblivio-  
nem

mem lubricam extinguens; Spiritus pietatis,  
Spiritus timoris Dei, mentes fidelium dotibus  
suis spiritualibus replens. Hic est Paracletus  
& consolator in omnibus ærumnis, quibus hæc  
vita referta est, dulcissimus, qui contra singula  
tentamenta erudit, tristitia & languida pectora  
suavissimo solatio reficit, manumq; supponit,  
ne pij in afflictionibus à Deo immisis omninò  
succumbant, sed tandem iterùm exsurgentes  
cum júbilo caput suum efferant. Hic est vivi-  
ficator & sanctificator efficacissimus, sinè cujus  
numine nostra vita ne ad momentum quidem  
vigorem retinere, multò minus subsistere po-  
test: Nam

*Omnes quod sumus ac vigemus inde est:*

*Regnat Spiritus ille sempiternus,*

*A Christo simul & parente missus,*

*Intrat pectora candidus pudica,*

*Qua templi vice consecrata ridet,*

*Postquam combiberint Deum medullis.*


Hic est illuminator cordium miraculosus, qui  
rudes & imperitos doctrinâ, insipientes sapien-  
tiâ, ignaros scientiâ & cognitione affatim donat  
& auget, qui de Davide adolescentulo Citha-  
rædo, celeberrimum Psalmistam, de pastore ar-  
mentario, eximiû Prophetam, de Daniele pue-  
ro, judicem senum, de piscatorib9 abjectissimis  
sanctos

sanctos Christi Legatos, de Saule persecutore  
Ecclesiæ, Divum Paulum singularem gentium  
doctorem fecit. Felix itaq; & ab omni parte  
beatus est ille, cujus viscera, tanquam domiciliū  
& receptraculum viventis Dei, almus hic Spiri-  
tus incolit, cujus dicta & facta ipse solus infor-  
mat & ad felicem dirigit scopum: Hujus autem  
summi boni, æternæq; lucis illi participes fiunt  
qui, ejusdē instinctu & ductu, post habitis mūda-  
nis voluptatibus, ad cœlestia semper aspirantes,  
assiduis precib9 in thymiaterio pectoris accen-  
sis, gratam labiorū suorum hostiā Deo offerunt:  
Spiritus S. enim est Spiritus gratiæ & precum,  
precibus impetratur, & pios ad preces impellit:  
Proindeq; se libentissimè associat ijs, qui ardenti & de-  
voto pectore hanc ipsam orandi artē indefinenter ex-  
ercent: Quā de causā super Apostolos descendebat, cū  
in solitā oratione unanimiter perdurabāt: Simili quoq;  
ratione sacrosancti Numinis huj9 præsentia gaudebunt,  
qui eximiam virtutem pacem & concordiam, summo a-  
nimi desiderio & conatu amplectuntur, discordiā verò  
& omnem contentionē, utpotē infensissimum charitatis  
& Sp. Sancti hostem, serio devitant, & perpetuo perse-  
quantur odio, quiq; piam, sobriam, justam & normæ  
verbi divini, quod est vehiculum Sp. Sancti, convenien-  
tē in his terris vitam degunt, conscientiam alentes ab om-  
ni injustitiā & immunditie defæcatam: Hi & alij pio-  
rum exercitiorum cultores saluberrimo Sp. Sancti præ-  
sidio semper fruuntur. Cont. à verò nullā in beneficijs  
ipsius inveniunt partē, qui sacrosanctum castissimi huj9  
Spi-



Spiritus festum in detestabilia Bachanalia aut Saturnalia  
heluationibus & crapulae consecrata turpissime defor-  
mant, qui universum vitae tempus, pro more hujus seculi,  
in Cyclopeam impietatem & Epicuream infamunt se-  
curitatem, qui timorem Dei, & verbi ipsius salvifici au-  
ditum suscipi deique habent, & varijs flagitijs, cupiditatibus,  
& concupiscentijs, tanquam carnis illecebris, se polluunt  
& contaminant: Quorum impia conversatio Deo Spi-  
ritui Sancto invisa atque exosa est: Nam quemad-  
modum in vas aut vestimentum immundum nunquam  
se demittunt apes, unde suffribus & unguentis, fragran-  
tibusque odoribus locum aspergunt, qui harum rerum  
sunt periti, meritoque, suave olenti illinunt calathiferos, ne  
gravis foetor eas rursus abigat: Ita quoque, gratia Spiritus  
Sancti, quae favo dulcior est, nunquam intrat corda ho-  
minum, si intus lateat bilis, amaritudo, & libido. Agi-  
te ergo, Cives Academici, à mundana pravitate rece-  
dentes, disciplinae & jugo Spiritus Sancti mitissimo vos totos  
submittite, S. S. hoc festum in honorem ipsius ardenti  
pectore & psallenti voce recolite, et tanquam unico du-  
ctori & moderatori studiorum & actionum vestra-  
rum morem gerite, mentibus vestris immodesta  
& luxuriosa vitæ obicem non obdite, quo minus hic  
Spiritus Sanctus eas inhabitare possit, neque eundem  
inhabitantem foedissimis peccatis iterum expellite,  
(Vae enim illi à quo discedit Dominus!) sed potius  
munia vocationis vestrae precibus quotidianis sedulo  
ipsi commendate, qui omnem vestrum conatum ad  
prosperam atque salutarem perducet metam P. P. Ro-  
stochij sub sigillo Rectoratus ipso Pentecostes die, An-  
no 1634.

sanctos Christi Legatos, de Sa  
 Ecclesiae, Divum Paulum sing  
 doctorem fecit. Felix itaq; &  
 beatus est ille, cujus viscera, tan  
 & receptaculum viventis Dei,  
 rus incolit, cujus dicta & facta  
 mat & ad felicem dirigit scopu  
 summi boni, aeternaeq; lucis illi  
 qui, ejusdem instinctu & ductu, po  
 nis voluptatibus, ad caelestia sen  
 assiduis precibus in thymaterio  
 sis, gratam labiorum suorum hosti  
 Spiritus S. enim est Spiritus gra  
 precibus impetratur, & pios ad  
 Proindeq; se libentissimè associat ijs  
 voto pectore hanc ipsam orandi ar  
 ercent: Quà de causâ super Apostol  
 in solita oratione unanimiter perdura  
 ratione sacrosancti Numinis hujus præ  
 qui eximiam virtutem pacem & conc  
 nimi desiderio & conatu amplectun  
 & omnem contentione utpotè infens  
 & Sp. Sancti hostem, serio devitant;  
 quantur odio, quicq; piam, sobriam,  
 verbi divini, quod est vehiculum Sp. S  
 tē in his terris vitam degunt, conscier  
 mni injustitiâ & immunditie defæcat  
 rum exercitiorum cultores saluberrim  
 sidio semper fruuntur. Cont à verò  
 ipsius inveniunt partē, qui sacrosancti



the scale towards document

atore.  
 ntium  
 parte.  
 iciliū  
 Spiri-  
 infor-  
 utem.  
 fiunt  
 nūda-  
 antes,  
 ccen-  
 runt:  
 cum,  
 bellis  
 & de-  
 ter ex-  
 bat, cū  
 quoq;  
 ebunt,  
 amo a-  
 ā verò  
 ritatis  
 perfe-  
 orma-  
 nien-  
 s ab o-  
 ij pio-  
 t præ-  
 eficijs  
 i hujus  
 Spi-